

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6472

Autre(s) référence(s) : Bates 59

Auteur(s) : Guillaume Ier le Conquérant, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Caen, La Trinité (abbaye)

Genre d'acte : diplôme

Authenticité : non suspect

Datation : 1082

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Guillaume [Ier], roi d'Angleterre, et la reine Mathilde confirment les donations faites à l'abbaye de la Trinité de Caen qu'ils ont fondée.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Du Monstier Arthur, *Neustria Pia seu de omnibus et singulis abbatibus et prioratibus totius Normanniae*, Rouen, J. Berthelin, 1663, p. 658-661.
- b. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta, col. 68-72.
- c. Musset Lucien, *Les actes de Guillaume le Conquérant et de la reine Mathilde pour les abbayes caennaises*, Caen, Caron (MSAN ; 37), 1967, n° 8.
- d. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, the Acta of William I (1066-1087)*, Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 59, p. 271-286.

Indications

Léchaudé d'Anisy Amédée-Louis, *Extrait des chartes et autres actes normands ou anglo-normands qui se trouvent dans les archives du Calvados*, Caen, Mancel (MSAN ; 7-8), 1834-1838, 2 vol., t. 2, p. 173, n° 2. Davis Henry William Carles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum, 1066-1154*, vol.1, *Regesta Willelmi Conquestoris et Willelmi Rufi, 1066-1100*, Oxford, Clarendon Press, 1913, n° 150. Cronne Henry Alfred, Johnson Charles, *Regesta Regum Anglo-Normannorum 1066-1154*, vol. 2, *Regesta Henrici primi 1100-1135*, Oxford, Clarendon Press, 1956, p. 394.

Dissertation critique

1082 ; version longue rédigée en 1080-1082

Texte établi d'après d

(Version I)

Divina gratia ac Domini nostri Jhesu Christi disponente clementia, ego Willelmus Anglorum rex, Normannorum et Coenomanorum princeps, sed et Mathildis regina uxor mea, Balduini gloriosi Flandrensi ducis filia ad gloriam beatitudinis, ad premium beate retributionis pio sapientique desiderio anhelantes, in territorio quod

ab antiquis Cadomum appellatur, ecclesiam in honorem Sancte Trinitatis, pro salute animarum nostrarum coedificavimus, ibique sanctas ac religiosas feminas secundum institutionem sancti Benedicti, sub abbatisa Domino servituras, in perpetuum constituimus. Quibus ut imposterum usus necessariorum rerum usquequaque sufficiat, regia munificentia opportuna provisione prospeximus. Tradidimus itaque sancte Dei ecclesie prenominate villam quæ vocatur Caluiz cum omnibus sibi pertinentibus, excepta decima quæ est sanctæ Mariæ Baiocensis. Dedimus etiam Oistrehan cum cunctis appenditiis suis, hoc excepto quod Robertus ibidem tenet de comite Moritonensi, Willelmo qui dicitur Caritas et Ricardo nepote eius sed et Gisleberto Crispino annuentibus, pro pecunia quam nos eis dedimus. Præterea villam quæ dicitur Calfur cum suis appenditiis, quam regis concessu ego M(athildis) regina emi a Ricardo filio Ragnulfi, annuente Aitardo de Nonant, de cuius feodo erat. Prebuimus ætiam assensum donationi qua Radulfus Taxo villam Barge donavit cum cunctis appenditiis suis, cumque centum et X accris terræ in villa Amblida et uno molendino in eadem Amblida pro sorore sua monacha facta. Ego autem M(athildis) regina redemi villam Barge de calumpnia a filia Conanni, et terram et molendinum in Amblida redemi de calumpnia a Waleranno filio Ranulfi, de quorum hereditate fuerat. Ab eodem etiam Waleranno, ex concessu regis, emi ego M(athildis) regina L accras terræ in territorio Cadomi, et appositum est hoc ad æcclesiam supradictam, Radulfo camerario concedente, de cuius feodo erat. Super hæc donavimus et Eschenelvillam predictæ æcclesiæ, quam ego regina M(athildis), regis concessu, emi a filiis Wimundi Cufel, Willelmo et Roberto, a quo eodem Roberto ego regina emi terram illam quam habebat in Hetruvivilla, et domini mei regis concessu apposita est æcclesiæ. Item, annuente domino meo rege, emi a Ricardo filio Herluini illas terras quas tenebat in Taxilli et in Monte Boani, eo tenore quod Ricardus de ecclesia eas teneret in vita sua, et post obitum eius in sua possessione propria possideret æcclesia. Item terram quam tenuit Radulfus filius Alani in Willon, comparavi ab eodem Radulfo et a Ricardo filio Rainfredi rusticum unum in villa quæ dicitur Charon et duas garbas decimæ quam habebat in eadem villa, similiter et a Ragnulfo de Barberiis duas garbas decimæ quam habebat in Charon, et hæc ex concessu regis æcclesiæ apposita sunt. Preter hec a Milone mariscalco et a Lethselina eius uxore, emi ego M(athildis) regina terram quam habebant in Valcellis et quod in ecclesia et in molendino uno eiusdem villæ habebant, excepto quod Beatrici filiæ suæ ad coniugium suum largiti sunt, quod domino meo rege concedente ecclesie subscriptum est. Super ea quæ dicta sunt, ego Willelmus rex et uxor mea M(athildis) regina æcclesiæ prenominate donavimus burgum de Hulmo cum redditibus suis, Adelissa amita mea benigniter annuente, cuius hereditas erat, sed et comitissa A(delissa) de Albamarla concedente, eo videlicet pacto ut ipsa teneret in vita sua, post obitum vero suum ad victum sanctimonialium sancta possideret æcclesia. In territorio autem Cadomi dedimus terras illas quas de me rege Willelmo tenebant Godefridus iuvenis, Rogerius conestabulus, Willelmus Patric, et intra burgum Cadomi unius molendini mei decimam, et decimam furnorum ad me pertinentium, decimam quoque de Diva de piscibus et de denariis, similiter decimam de Divula et de Batvent, de sale et denariis, eodem modo decimam de Wachei, et de Scocei, de denariis, piscibus et molendinis. Item in insula de Gerzoi unum molendinum [et terram] duorum francorum hominum atque medietatem decime de quinque parrochiis, et sextam garbam de una parrochia et dimidia, sed et terram et decimas quas Rainoldus capellanus noster in eadem insula de me tenebat, ipsius Reignoldi precatu, postquam monachus effectus est, æcclesiæ predictæ concessimus. In villa que dicitur Mentrud LX acros terræ, et in villa Billei terram quam Hernostus clericus ibidem tenuit, terramque Radulfi Billei, pro qua recepta fuit filia Willelmi in ecclesia, Radulfi camerarii et Willelmi filii Theodorici eiusque uxoris concessu, de quorum hereditate erat.

Ad hæc adidimus pretitulate æcclesiæ XX accripennos vinæ, de quibus tres sunt apud Liriacum, cum sex acris terræ ; apud Albam Viam, VII quos ego regina emi a Willelmo de Aillio, concessu Rogerii filii eius, et Ricardi comitis Ebroucensis et Anschitilli de Altuillio concessu, de quorum hereditate erat ; apud Argentias VII ; apud Vernun III, de istis tribus agripennis Godelef dedit duos et dimidium cum una domo pro eo quod monacha facta est in æcclesia prelibata, et soror eius alterum dimidium. Donavimus ætiam medietatem ville quæ nominatur Carpichet, quam ego regina, domini mei regis concessu, comparavi ab Eudone filio Thurstini Haldup et a Ragnulfo vicecomite. Adelaidis autem filia Thu[r]stini Haldup ad eandem Sancte Trinitatis æcclesiam in qua monacha facta est, nostro concessu, et Ragnulfo vicecomite et Eudone eiusdem Adelaidis fratre annuentibus, alteram medietatem ville Carpiketh cum medietate ecclesiæ et decime eiusdem ville donavit, sed et duas partes ville quæ Puteus nuncupatur, et inter Filcherolas et Herstervillam novies viginti acros terræ, necnon et illam terram quam Oismelinus Theoderici filius et Herbertus Folenfant tenebant de ea in Goisbertivilla, et in Dumol[di]villa, et in Cuvertivilla ; in Coisneriis dimidium molendinum et terram unius carruce in eodem loco ; in Ruscavilla terram unius carruce ; in Ingulfovilla terram illam quam de ipsa tenuit Anschitillus ; in Calvavilla terram unius carrucæ. Dedit etiam hæc eadem Adelaidis : Fraxinivillam et Maisnile Urselli, quas ego M(athildis) regina excambivi ecclesiæ sancte

Marie Baiocensi per Odonem æcclesiæ eiusdem antistitem, concessu domini mei regis, pro ecclesiis cum decimis sancti Stephani et sancti Martini Cadomi, sicut Anschitillus filius Urf eas tenuerat, et pro æcclesia sancti Georgii de castro Cadomi.

Stigandus quoque dedit æcclesias Falesiæ cum decimis et æcclesiam Wibrai cum decima et unum molendinum in eodem loco supranominate æcclesiæ pro filia sua ibidem monacha facta, Willelmo de Braiosa, de cuius iure erat, annuente, cui ut concederet ego M(athildis) regina ex concessu regis dedi de pecunia mea. Sed et Alveredus de Moion concessit eidem æcclesiæ terram illam quam soror eius Ala habuerat in coniugio apud Ranvillam, pro filia sua que monacha fuerat facta in eadem æcclesia, excepto quod ibidem sanctus Leodegarius de Pretellis tenet, cuius terræ servitium ego regina ad opus æcclesiæ redemi de Huberto de Ria cuius feodum erat. Fredesendis autem Ranulfi vicecomitis amita dedit eidem æcclesiæ Osbernivillam, annuente eodem Ranulfo, de cuius feodo erat, cui R(anulfo) pro concessu suo dedi ego regina M(athildis) de pecunia mea. Dedit idem Ranulfus æcclesiæ supradictæ molendinum unum intra burgum Cadomi situm, et in Goisbertivilla terram duorum francorum hominum pro filia sua facta monacha in æcclesia. Balduinus filius comitis Gisleberti et uxor eius Emma dederunt eidem æcclesiæ, pro salute animarum suarum, ecclesias de la Forest cum decimis et CCTos acros terre in eodem loco, quibus pro concessione ipsorum ego regina M(athildis) dedi de censu meo. Murier de Guitot pro salute animæ suæ dedit predictæ æcclesiæ Osbernivillam supra mare sitam, ita tamen ut in vita sua eam teneret, et post mortem suam mater æcclesia in sua proprietate possideret, Willelmo de Brethoil concedente, cui ego regina M(athildis) dedi de pecunia mea pro concessione ipsius, quia de eius feodo erat. Albereda soror Fulconis eidem æcclesiæ tribuit terram quam pater suus dederat ei in villa quæ dicitur Guillon, annuente eodem Fulcone, quæ cum esset illius loci soror, sepulta ibidem iacet in atrio. Billeheldis filia Rogerii quod pater suus donaverat ei in Vernun pro coniugio, et ipsa dedit predictæ æcclesiæ, nepote eius annuente Willelmo, de cuius honore erat, cui pro concessu suo ego regina M(athildis) dedi de censu meo. Rogerius de Molbrai dedit predictæ æcclesiæ terram quam ipse habebat in Grainvilla pro filia sua ibidem monacha facta. Rogerius quoque de Monasteriis, pro matre sua ibidem Deo sacrata, dedit Salam cum cunctis appenditiis suis, et dimidiam silvam de Monte Alboldi, atque monasterium de Vals cum decima et terram unius carrucæ in eadem villa, et in uno molendino hoc quod habebat in proprio dominio, et terram quam Ricardus tenet in villa quæ dicitur Lu. Fulco autem de Alno dedit eidem æcclesiæ villam Folebech cum molendinis cunctisque appenditiis suis, tam in planis quam in silvis, pro uxore sua Haduissa in eodem cenobio monacha facta, annuente filio eorum Fulcholino. Ascelina filia Alveredi Gigantis dedit ecclesie predictæ terram quam habebat in Grandi Campo et in Goi, concessu Willelmi filii Alveredi, propter quem concessum neptis sua, filia Willelmi de Millei, ibidem facta est monacha. Willelmus Bacco duas partes decimæ de Bleer et unum rusticum in eadem villa dedit pro sorore sua in eodem loco monacha facta. Goiffredus Luvez duas partes decimæ de decem et octo vilanis et VI acros terræ in Colevilla dedit pro filia sua in æcclesia facta monacha. Ebremarus XL accros terræ in Anglisca villa et XX in Charon, et de dimidia decima de Charon duas garbas, et in Willon decimam quam emit ipse a Murier sorore Ricardi principis, dedit pro filia sua in eodem cenobio monacha facta. Petrus, quod habebat in Monasteriis dedit pro filia sua quæ ibi facta est monacha. Odo clericus XL accros terræ in Campis dedit pro anima sua, Willelmi Osberni filii concessu, de cuius feodo erat. Ecclesiam autem de Burnoldivilla cum decima, hoc excepto quod Rogerius filius Hunfredi ibidem tenet, dederunt homines de eadem villa, pro salute animarum suarum, episcopo Baiocensi Odone præbente consensum. Alberada uxor Radulfi Taxonis concessit servitium de terra quam Fulcherius Mala Herba de ipsa tenebat in Bledvilla pro salute animæ suæ. Gisla filia Thurstini terram quam habebat in Grai et in Dunvilla dedit eidem ecclesie pro anima sua, concessu Thurstini nepotis sui cuius feodem erat. Ego autem Willelmus rex concessi servicium illud quod Goifridus Salomonis et Heltho dapifer reddebant mihi de Grai supradictæ æcclesiæ.

Radulfus filius Al. pro salute anime suæ dedit terram quam habebat in Adevilla. Albereda Hugonis et Rogerii mater dedit, annuentibus ipsis, hoc quod habebat in ecclesia et in decima de Hanolvilla et unum accrum terræ in eadem villa pro anima sua. Hugo pincerna supradictæ ecclesie dedit terram de Fago, ita ut ipse teneret in vita sua, et post obitum eius dicta possideret æcclesia, Radulfo de Todenio annuente, de honore cuius erat, cui ego M(athildis) regina pro concessu illo dedi de pecunia mea. Gunnor mater Willelmi de Braiosa, Sanctæ Trinitatis monacha, dedit eidem cænobio terram quam habebat in Badvent, annuentibus Hugone pincerna et Rogerio de Cuilli, de quorum honore erat, cui Rogerio ego regina M(athildis) pecuniam dedi pro assensu suo. Donavit ætiam eadem Gunnor terras quas habebat in Rovres, et in Cirreni, et in Craiscentevilla, et in villa quæ dicitur Quattuor Putei, Mauricio et Albereda uxore eius concessum prebentibus, de quorum hereditate fuerat. Robertus filius Anffridi dapiferi terram quam habebat in Condet et dimidia prata que habebat in Wiholmi dedit pro Avicia uxore sua in eadem æcclesia monacha facta, filiis suis concedentibus. Radulfus de Aneriis XXXVI accros terræ quam tenebat in eadem villa Aneriis dedit eidem æcclesiæ pro anima sua, quam a Willelmo de Simillei emerat, annuente huic donationi Willelmo de Columbariis, de cuius feodo erat. Ursellus dedit pro anima sua terram quam habebat in villa Sancti Aniani. Robertus camerarius dedit terram quam Hadebrandus tenebat in Lovenio pro anima sua, et pro

amore sororis suæ quæ erat monacha in ecclesia. Willermus camerarius dedit unum molendinum iuxta Chetahoil et terram quam ibidem de regina M(athilde) tenebat.

Ad hæc Baiocensis Odo episcopus, interveniente gratia et dilectione nostra, predictam Sanctæ Trinitatis æcclesiam cum atrio, abbatissam cum sanctimonialibus, omnem clerum in eodem loco servientem, universam familiam eiusdem æcclesiæ cibo sustentatam, ab omni exactione pecuniæ episcopalium reddituum liberam esse concedit. Sed et æcclesiam beati Egidii cum atrio ipsius quo modo supradictam liberam et quietam, et clericos ibidem servientes, eo modo quo supra liberos esse permittit. Preterea in ea parte burgi, extra murum videlicet Cadomi siti versus æcclesiam Sanctæ Trinitatis, quam ego Willelmus rex predictæ æcclesiæ dedi, illius partis burgi parrochiam ad ecclesiam sancti Egidii venire oblationem, decimam de pecoribus cum sepultura clericos ibi servientes quiete permittit habere. Sed et gablum et consuetudinem culcitrarum quod in eadem parte burgi habebat, æcclesiæ Sanctæ Trinitatis ascribit. Super ea quicumque in his duabus æcclesiis et in atriis earum forisfacturam fecerit, emendationem pecuniæ quæ ab episcopali consuetudine pro forisfactura exigi solet, eiusdem loci abbatisse, episcopo eodem annuente, donavit. Quicumque autem hominum Cadomensium in vita sua sepulturam sibi in atrio Sanctæ Trinitatis elegerit, licenter habere sine requisitione sepulturæ idem episcopus a suo sacerdote concedit. Et quia Baiocensis episcopus quietem libertatis quæ dicta est predictis concessit æcclesiis, digne recumpensationis donum prebuimus antistiti eidem et æcclesiæ Baiocensi. Si quis vero horum omnium quæ predictæ Sanctæ Trinitatis æcclesiæ data ostensa sunt temeraria presumptione aliquando, quod absit, violator effectus, in sua impudenti obstinatione perstiterit, noverit ille se anathema factum a Domino, sancta ac beata fidelium omnium communione privatum, divino iudicio perpetualiter esse plectendum. Ut igitur universa hæc secundum quod a nobis instituta esse noscuntur, inconcussa in perpetuum firmitate perdurent adversum Dei æcclesiæ inimicos, ego Willermus rex privilegium regie maiestatis imponens, episcoporum ac magnatum meorum quorum nomina subscripta habentur, inrefragabili attestatione probavi et legitima sanctione firmavi, anno ab incarnatione Domini M.LXXXII, indictione quinta, apostolice sedis cathedram possidente papa Gregorio septimo, regni mei XVI anno, in Frantia regnante Philippo, Romanis in partibus imperiali iure dominante Henrico.

Sig + num Willelmi Anglorum regis. Sig + num Mathildis regine. Signum + Lanfranci archiepiscopi. Signum + Willelmi Rothomagensis archiepiscopi. Sig + num Odonis Baiocensis episcopi. Signum + Michaelis Abricensis episcopi. Signum + Gileberti Lexoviensis episcopi. Signum + Gisleberti Ebroicensis episcopi. Signum + comitis Rodberti regis filii. Signum + comitis Willelmi filii regis. Signum + Henrici regis Willelmi filii. Signum comitis Roberti + Moritonensis. Signum + Balduini filii comitis Giliberti. Signum + Alani comitis. Signum Rogerii comitis de Monte Gome + rico. Signu + m Willelmi de Warena. Signum + Gisleberti Crispini. Signum Roberti + Bertranni. Signum + Henrici de Ferires. Signum + Rogerii de Bellomonte. Signum + Hugonis comitis de Cestra. Sig + num Richardi filii Herluini. Signum + Rogerii pincerne de Ibriaco. Signum + comitis Rotberti de Bellomonte. Signum + Willelmi comitis Ebroicensis. Signum + Hugonis pincerne. Signum Fulconis + de Alnou. Signum + Ranulfi vicecomitis. Signum Willelmi + qui dicitur Caritas. Signum [Hugonis] + de Gornayo. + Signum Radulfi de Todenio. Signum + Willelmi de Bretoil. Signum Girardi + de Gornaio. Signum Willelmi + camerarii filii Radulfi. Signum + Eudonis vicecomitis. [Signum] + Richardi de [Revies].

(Version II)

Divina æterni conditoris omnipotentis Dei providentia disponente, ego Willermus rex Anglorum, Normannorum atque Cenomannorum princeps, reginaque Matildis uxor mea, Balduini Flandrensium ducis filia, participes eternorum bonorum cupientes fieri, in territorio quod ab antiquis Cadomum appellatur, ecclesiam in honorem sancte Trinitatis coedificavimus, ibique Dei concessu venerabilem abbatissam et religiosas moniales Deo consecratas pro redemptione animarum in Dei servitio perseverantes, perpetue constituimus, eisque ne in futuro tempore rebus pro necessariis deficerent, clementia Dei patris concedente prospeximus. Anno enim ab incarnatione Domini M.LXXX, tercia indictione, antepenultimo anno cycli solaris, Willelmo rege in Anglia feliciter regnante, XIII anno eius imperii, in Francia vero regnante Phylippo, Romanis partibus imperiali iure Henrico, apostolice sedis cathedram possidente papa Gregorio, renovantes quæ in priori carta prius fuerant scripta, eisque ad augmentum sacrate æcclesiæ quædam accrescentes, auctoritate episcoporum ac primatum nostrorum iterum confirmavimus, ea videlicet conditione ut si quis temerario ausu venerande matri æcclesiæ concessa a nobis beneficia surripere temptaverit, persistendo orthodoxorum communitate careat, iram omnipotentis Dei anathema factus perpetuam incurrat. Ego Will(ermus) rex et uxor mea Matildis regina tradimus huic sanctæ æcclesiæ prenominate

villam quæ vocatur Caluiz cum omnibus sibi pertinentibus, excepta decima quæ est sanctæ Mariæ Baiocensis. Dedimus etiam Oistrehan cum cunctis appenditiis suis, hoc excepto quod Robertus ibidem tenet de comite

Moritonensi, Willelmo qui dicitur Caritas et Ricardo nepote eius sed et Gisleberto Crispino annuentibus, pro pecunia quam nos eis dedimus. Præterea villam quæ dicitur Calfur cum suis appenditiis, quam regis concessu ego M(athildis) regina emi a Ricardo filio Ragnulfi, annuente Aitardo de Nonant, de cuius feodo erat. Prebuimus ætiam assensum donationi qua Radulfus Taxo villam Barge donavit cum cunctis appenditiis suis, cumque centum et X accris terræ in villa Amblida et uno molendino in eadem Amblida pro sorore sua monacha facta. Ego autem M(athildis) regina redemi villam Barge de calumpnia a filia Conanni, et terram et molendinum in Amblida redemi de calumpnia a Waleranno filio Ranulfi, de quorum hereditate fuerat. Ab eodem etiam Waleranno, ex concessu regis, emi ego M(athildis) regina L accras terræ in territorio Cadomi, et appositum est hoc ad æcclesiam supradictam, Radulfo camerario concedente, de cuius feodo erat. Super hæc donavimus et Eschenelvillam predictæ æcclesiæ, quam ego regina M(athildis), regis concessu, emi a filiis Wimundi Cufel, Willelmo et Roberto, a quo eodem Roberto ego regina emi terram illam quam habebat in Hetrufovilla, et domini mei regis concessu apposita est æcclesiæ. Item, annuente domino meo rege, emi a Ricardo filio Herluini illas terras quas tenebat in Taxilli et in Monte Boani, eo tenore quod Ricardus de ecclesia eas teneret in vita sua, et post obitum eius in sua possessione propria possideret æcclesia. Item terram quam tenuit Radulfus filius Alani in Willon, comparavi ab eodem Radulfo et a Ricardo filio Rainfredi rusticum unum in villa quæ dicitur Charon et duas garbas decimæ quam habebat in eadem villa, similiter et a Ragnulfo de Barberiis duas garbas decimæ quam habebat in Charon, et hæc ex concessu regis æcclesiæ apposita sunt. Preter hec a Milone mariscalco et a Lethselina eius uxore, emi ego M(athildis) regina terram quam habebant in Valcellis et quod in ecclesia et in molendino uno eiusdem villæ habebant, excepto quod Beatrici filia suæ ad coniugium suum largiti sunt, quod domino meo rege concedente ecclesie subscriptum est.

Super ea quæ dicta sunt, ego Willelmus rex et uxor mea M(athildis) regina æcclesiæ prenominate donavimus burgum de Hulmo cum redditibus suis, Adelissa amita mea benigniter annuente, cuius hereditas erat, sed et comitissa A(delissa) de Albamarla concedente, eo videlicet pacto ut ipsa teneret in vita sua, post obitum vero suum ad victum sanctimonialium sancta possideret æcclesia. In territorio autem Cadomi dedimus terras illas quas de me rege Willelmo tenebant Godefridus iuvenis, Rogerius conestabulus, Willelmus Patric, et intra burgum Cadomi unius molendini mei decimam, et decimam furnorum ad me pertinentium, decimam quoque de Diva de piscibus et de denariis, similiter decimam de Divula et de Batvent, de sale et denariis, eodem modo decimam de Wachei, et de Scocei, de denariis, piscibus et molendinis. Item in insula de Gerzoi unum molendinum [et terram] duorum francorum hominum atque medietatem decime de quinque parrochiis, et sextam garbam de una parrochia et dimidia, sed et terram et decimas quas Rainoldus capellanus noster in eadem insula de me tenebat, ipsius Reignoldi precatu, postquam monachus effectus est, æcclesiæ predictæ concessimus. In villa que dicitur Mentrud LX acros terræ, et in villa Billei terram quam Hernostus clericus ibidem tenuit, terramque Radulfi Billei, pro qua recepta fuit filia Willelmi in ecclesia, Radulfi camerarii et Willelmi filii Theodorici eiusque uxoris concessu, de quorum hereditate erat.

Ad hæc adidimus pretitulate æcclesiæ XX accripennos vinæ, de quibus tres sunt apud Liriacum, cum sex acris terræ ; apud Albam Viam, VII quos ego regina emi a Willelmo de Aillio, concessu Rogerii filii eius, et Ricardi comitis Ebroicensis et Anschitilli de Altuillio concessu, de quorum hereditate erat ; apud Argentias VII ; apud Vernun III, de istis tribus agripennis Godelef dedit duos et dimidium cum una domo pro eo quod monacha facta est in æcclesia prelibata, et soror eius alterum dimidium. Donavimus ætiam medietatem ville quæ nominatur Carpichet, quam ego regina, domini mei regis concessu, comparavi ab Eudone filio Thurstini Haldup et a Ragnulfo vicecomite. Adelaidis autem filia Thu[r]stini Haldup ad eandem Sancte Trinitatis æcclesiam in qua monacha facta est, nostro concessu, et Ragnulfo vicecomite et Eudone eiusdem Adelaidis fratre annuentibus, alteram medietatem ville Carpiketh cum medietate ecclesiæ et decime eiusdem ville donavit, sed et duas partes ville quæ Puteus nuncupatur, et inter Filcherolas et Herstervillam novies viginti acros terræ, necnon et illam terram quam Oismelinus Theoderici filius et Herbertus Folenfant tenebant de ea in Goisbertivilla, et in Dumol[di]villa, et in Cuvertivilla ; in Coisneriis dimidium molendinum et terram unius carruce in eodem loco ; in Ruscavilla terram unius carrucæ ; in Ingulfivilla terram illam quam de ipsa tenuit Anschitillus ; in Calvavilla terram unius carrucæ. Dedit etiam hæc eadem Adelaidis : Fraxinivillam et Maisnile Urselli, quas ego M(athildis) regina excambivi ecclesiæ sancte Marie Baiocensi per Odonem æcclesiæ eiusdem antistitem, concessu domini mei regis, pro ecclesiis cum decimis sancti Stephani et sancti Martini Cadomi, sicut Anschitillus filius Urf eas tenuerat, et pro æcclesia sancti Georgii de castro Cadomi.

Stigandus quoque dedit æcclesias Falesiæ cum decimis et æcclesiam Wibrai cum decima et unum molendinum in eodem loco supranominate æcclesiæ pro filia sua ibidem monacha facta, Willelmo de Braiosa, de cuius iure erat, annuente, cui ut concederet ego M(athildis) regina ex concessu regis dedi de pecunia mea. Sed et Alveredus de Moion concessit eidem æcclesiæ terram illam quam soror eius Ala habuerat in coniugio apud Ranvillam, pro filia sua que monacha fuerat facta in eadem æcclesia, excepto quod ibidem sanctus Leodegarius de Pretellis tenet, cuius terræ servitium ego regina ad opus æcclesiæ redemi de Huberto de Ria cuius feodum erat. Fredesendis autem Ranulfi vicecomitis amita dedit eidem æcclesiæ Osbernivillam, annuente eodem Ranulfo, de cuius feodo erat, cui R(anulfo) pro concessu suo dedi ego regina M(athildis) de pecunia mea. Dedit idem Ranulfus æcclesiæ supradictæ

molendinum unum intra burgum Cadomi situm, et in Goisbertivilla terram duorum francorum hominum pro filia sua facta monacha in æcclesia. Balduinus filius comitis Gisleberti et uxor eius Emma dederunt eidem æcclesiæ, pro salute animarum suarum, ecclesias de la Forest cum decimis et CCtosw acros terre in eodem loco, quibus pro concessione ipsorum ego regina M(athildis) dedi de censu meo. Murier de Guitot pro salute animæ suæ dedit predictæ æcclesiæ Osbernivillam supra mare sitam, ita tamen ut in vita sua eam teneret, et post mortem suam mater æcclesia in sua proprietate possideret, Willelmo de Brethoil concedente, cui ego regina M(athildis) dedi de pecunia mea pro concessione ipsius, quia de eius feodo erat. Albereda soror Fulconis eidem æcclesiæ tribuit terram quam pater suus dederat ei in villa quæ dicitur Guillon, annuente eodem Fulcone, quæ cum esset illius loci soror, sepulta ibidem iacet in atrio. Billeheldis filia Rogerii quod pater suus donaverat ei in Vernun pro coniugio, et ipsa dedit predictæ æcclesiæ, nepote eius annuente Willelmo, de cuius honore erat, cui pro concessu suo ego regina M(athildis) dedi de censu meo. Rogerius de Molbrai dedit predictæ æcclesiæ terram quam ipse habebat in Grainvilla pro filia sua ibidem monacha facta. Rogerius quoque de Monasteriis, pro matre sua ibidem Deo sacrata, dedit Salam cum cunctis appenditiis suis, et dimidiam silvam de Monte Alboldi, atque monasterium de Vals cum decima et terram unius carrucæ in eadem villa, et in uno molendino hoc quod habebat in proprio dominio, et terram quam Ricardus tenet in villa quæ dicitur Lu. Fulco autem de Alno dedit eidem æcclesiæ villam Folebech cum molendinis cunctisque appenditiis suis, tam in planis quam in silvis, pro uxore sua Haduissa in eodem cenobio monacha facta, annuente filio eorum Fulcholino. Ascelina filia Alveredi Gigantis dedit ecclesie predictæ terram quam habebat in Grandi Campo et in Goi, concessu Willelmi filii Alveredi, propter quem concessum neptis sua, filia Willelmi de Millei, ibidem facta est monacha. Willelmus Bacco duas partes decimæ de Bleer et unum rusticum in eadem villa dedit pro sorore sua in eodem loco monacha facta. Goiffredus Luvez duas partes decimæ de decem et octo vilanis et VI acros terræ in Colevilla dedit pro filia sua in æcclesia facta monacha. Ebremarus XL accros terræ in Anglisca villa et XX in Charon, et de dimidia decima de Charon duas garbas, et in Willon decimam quam emit ipse a Murier sorore Ricardi principis, dedit pro filia sua in eodem cenobio monacha facta. Petrus, quod habebat in Monasteriis dedit pro filia sua quæ ibi facta est monacha. Odo clericus XL accros terræ in Campis dedit pro anima sua, Willelmi Osborni filii concessu, de cuius feodo erat. Ecclesiam autem de Burnoldivilla cum decima, hoc excepto quod Rogerius filius Hunfredi ibidem tenet, mei M(athildis) regine rogatu et O(donis) Baiocensis episcopi concessu prenominate æcclesiæ dederunt homines de eadem villa pro salute eorum et parentum suorum animarum, sed et ego Willelmus rex homines illos de Burnoldivilla qui erant in mea manu, et terram illam quam in eadem villa Hunfridus camerarius habet, predictæ æcclesiæ concessi. Alberada uxor Radulfi Taxonis concessit servitium de terra quam Fulcherius Mala Herba de ipsa tenebat in Bledvilla pro salute animæ suæ. Gisla filia Thurstini terram quam habebat in Grai et in Dunvilla cum omnibus sibi pertinentibus dedit eidem æcclesiæ pro anima sua, concessu regis Willelmi et Thurstino nepote suo cuius feodum erat annuente.

Ego autem Willelmus rex concessi servicium illud quod Goifridus Salomonis et Heltho dapifer reddebant mihi de Grai supradictæ æcclesiæ.

Wigerius quoque de Sanctæ Marie æcclesia dedit eidem æcclesiæ terram quam habebat in villa quæ dicitur Mortua Femina pro salute animæ suæ, suis nepotibus Wigerio et Alberico assensu[m] prebentibus.

Radulfus filius Al. pro salute anime suæ dedit terram quam habebat in Adevilla. Albereda Hugonis et Rogerii mater dedit, annuentibus ipsis, hoc quod habebat in ecclesia et in decima de Hanolvilla et unum accrum terræ in eadem villa pro anima sua. Hugo pincerna supradictæ ecclesie dedit terram de Fago, ita ut ipse teneret in vita sua, et post obitum eius dicta possideret æcclesia, Radulfo de Todenio annuente, de honore cuius erat, cui ego M(athildis) regina pro concessu illo dedi de pecunia mea. Gunnor mater Willelmi de Braiosa, Sanctæ Trinitatis monacha, dedit eidem cænobio terram quam habebat in Badvent, annuentibus Hugone pincerna et Rogerio de Cuilli, de quorum honore erat, cui Rogerio ego regina M(athildis) pecuniam dedi pro assensu suo. Donavit ætiam eadem Gunnor terras quas habebat in Rovres, et in Cirreni, et in Craiscentevilla, et in villa quæ dicitur Quattuor Putei, Mauricio et Albereda uxore eius concessum prebentibus, de quorum hereditate fuerat. Robertus filius Anffridi dapiferi terram quam habebat in Condet et dimidia prata que habebat in Wiholmi dedit pro Avicia uxore sua in eadem æcclesia monacha facta, filiis suis concedentibus. Radulfus de Aneriis XXXVI accros terræ quam tenebat in eadem villa Aneriis dedit eidem æcclesiæ pro anima sua, quam a Willelmo de Simillei emerat, annuente huic donationi Willelmo de Columbariis, de cuius feodo erat. Ursellus dedit pro anima sua terram quam habebat in villa Sancti Aniani. Robertus camerarius dedit terram quam Hadebrandus tenebat in Lovenio pro anima sua, et pro amore sororis suæ quæ erat monacha in ecclesia. Willermus camerarius dedit unum molendinum iuxta Chetahoil et terram quam ibidem de regina M(athilde) tenebat.

Robertus Bertrannus dedit Sanctæ Trinitati duos homines liberos cum sua decima in Columbellis. Dedit ætiam Emma comitissa de Monscans Sanctæ Trinitati quicquid habebat in eadem villa pro salute animæ suæ, ipso Roberto Bertranno fratre suo annuente, eo pacto et ipsa teneret in vita sua, et post obitum suum predicta possideret æcclesia ; pro recognitione autem doni sacerdos predictæ villæ quinque solidos in anno dat Sancte Trinitati ad luminaria æcclesiæ.

Willermus quoque de Germundivilla dedit Sanctæ Trinitati decimam quam habebat in Grentivilla pro anima sua et pro adiutorio quod regina ei faciebat. Willermus Bloieth autem dedit Sanctæ Trinitati duas garbas decime quam habebat in Dommaisnilio pro anima sua et pro adiutorio reginæ. Rogerius de Botemont et Willelmus de Maisnillio Malgerii dederunt Sanctæ Trinitati duas garbas decimæ quam in Colivilla habebant, pro animabus suis et pro adiutorio reginæ, LX agripennos terræ quam tenebat tres alodarii in Dusseio et in Ceconio dederunt Sancte Trinitati, annuente Roberto filio Hamonis, cui regina dedit de pecunia sua. Willermus de Warena concessit Sanctæ Trinitati servitium de terra quam tenebat Doriel de eo in Anesio et in Barberiis et in Willon, annuente ipso Doriel.

Ad hæc Baiocensis Odo episcopus, interveniente gratia et dilectione nostra, predictam Sanctæ Trinitatis æcclesiam cum atrio, abbatissam cum sanctimonialibus, omnem clerum in eodem loco servientem, universam familiam eiusdem æcclesiæ cibo sustentatam, ab omni exactione pecuniæ episcopalium reddituum liberam esse concedit. Sed et æcclesiam beati Egidii cum atrio ipsius quo modo supradictam liberam et quietam, et clericos ibidem servientes, eo modo quo supra liberos esse permittit. Preterea in ea parte burgi, extra murum videlicet Cadomi siti versus æcclesiam Sanctæ Trinitatis, quam ego Willelmus rex predictæ æcclesiæ dedi, illius partis burgi parochiam ad ecclesiam sancti Egidii venire oblationem, decimam de pecoribus cum sepultura clericos ibi servientes quiete permittit habere. Sed et gablum et consuetudinem culcitrarum quod in eadem parte burgi habebat, æcclesiæ Sanctæ Trinitatis ascribit. Super ea quicumque in his duabus æcclesiis et in atriis earum forisfacturam fecerit, emendationem pecuniæ quæ ab episcopali consuetudine pro forisfactura exigi solet, eiusdem loci abbatisse, episcopo eodem annuente, donavit. Quicumque autem hominum Cadomensium in vita sua sepulturam sibi in atrio Sanctæ Trinitatis elegerit, licenter habere sine requisitione sepulturæ idem episcopus a suo sacerdote concedit. Et quia Baiocensis episcopus quietem libertatis quæ dicta est predictis concessit æcclesiis, digne recumpensationis donum prebuimus antistiti eidem et æcclesiæ Baiocensi. Si quis vero horum omnium quæ predictæ Sanctæ Trinitatis æcclesiæ data ostensa sunt temeraria presumptione aliquando, quod absit, violator effectus, in sua impudenti obstinatione persistit, noverit ille se anathema factum a Domino, sancta ac beata fidelium omnium communione privatum, divino iudicio perpetualiter esse plectendum. Ut igitur universa hæc secundum quod a nobis instituta esse noscuntur, inconcussa in perpetuum firmitate perdurent adversum Dei æcclesiæ inimicos, ego Willermus rex privilegium regie maiestatis imponens, episcoporum ac magnatum meorum quorum nomina subscripta habentur, inrefragabili attestacione probavi et legitima sanctione firmavi, anno ab incarnatione Domini M.LXXXII, indictione quinta, apostolice sedis cathedram possidente papa Gregorio septimo, regni mei XVI anno, in Frantia regnante Philippo, Romanis in partibus imperiali iure dominante Henrico.

Signum + Willelmi Anglorum regis. Signum + Willelmi Rotomagensis archiepiscopi. Signum + Michaelis Abricensis episcopi. Signum + Gisleberti Ebroicensis episcopi. + Signum Willelmi de Breuil. Signum + Girardi de Gornaio. Signum + Radulfi de Todenio. Sig + num Matildis regine. Signum + Lanfranci archiepiscopi. Sig + num Odonis Baiocensis episcopi. Signum + Gisleberti Luxoviensis episcopi. Signum + Ricardi de Revies. Signum + comitis Roberti regis filii. Signum + Willelmi regis filii. Signum + Henrici regis W[illelmi] filii. Signum + Hugonis de Gornelio. Signum + Fulconis de Alnou. Signum + Willelmi camerarii filii Radulfi. Signum + Roberti comitis Moritoniensis. Signum + Balduini filii comitis Gislilberti. Signum + Hugonis comitis de Cestra. Signum + Alani comitis. Signum + Rogerii de Monte Gomerico. Signum + Rogerii de Monte Bello. Signum + Roberti de Bellomonte. Signum + Willelmi comitis Ebroicensis. Signum + Willelmi de Warena. Signum + Henricis de Ferreres. Signum [+]o Rogerii pincerne de Ibriaco. Signum + Hugonis pincerne.